David ipſe *Pſal.* 132. ℣. 11. teſtatur promiſiſſe ſibi Deum : *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam*; Id quod S. *Petrus Act.* II. 29. de Chriſto exponit. *Viri fratres*, ait, *liceat audenter dicere ad vos de Patriarcha David, quoniam defunctus eſt, & ſepulchrum ejus eſt apud nos, uſque in hodiernum diem. Propheta igitur cùm eſſet, & ſciret, quia jurejurando juraſſet illi Deus, de fructu lumbi ejus ſedere ſuper ſedem ejus, providens locutus eſt de reſurrectione Chriſti, quia neque derelictus eſt in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem.* Quid clariùs pro re noſtrâ ?

CAPUT IV.

Diſcutitur tertia Concordiæ tentandæ ratio.

§. XVII.

Cùm neque illa, quam vix ad trutinam vocavimus, numeris omnibus abſoluta videatur ſententia, recentiorum interpretum non paucis, ſequens ad conciliandum *Mathæo Lucam*, præplacet hypotheſis.

DAVID

Salomon		*Nathan*
Mathan		*Heli*
Jacob	*Conjuges*	*Filia Heli*
Joachim	*Fratres*	*Joſeph*
Maria - - - - - -	*JESUS*	

Secundùm hanc, ajunt, hypotheſin plana eſt Concordia inter utrumque Evangeliſtam. Eſt enim *Joſeph*, juxta *Mathæum*, filius *Jacob*, & ſecundùm *Lucam* filius, ſeu potiùs nepos *Heli*, proùt patet ex ſchemate. Deſcendit etiam *Maria* ex ſemine *David*, ex parte patris ſui *Joachim*, per *Salomonem*, ex parte aviæ ſuæ, filiæ *Heli*, per *Nathan*,

proinde & Christus, qui ex *Maria* natus est. Fuerunt S. *Joseph*, & B. V. *Maria* proximi consanguinei, patruus nempe & neptis, quos inter lex nulla irritabat, nec etiam prohibebat matrimonium. Ita R. P. *Andreas Pauli* in suâ *Epitome itinerar. filii Dei.* C. 2. N. 23, quem passim patres nostri Brabantini sequuntnr.

§. XVIII.

Sed dolendum, neque hanc hypothesin à nævis esse immunem. Duo præcipuè incommoda patitur, quæ prohibent, ne nostrum facilè calculum adjiciamus. Primum est, quod necessariò augere debeat ætatem S. *Josephi*, eundémque sistere nobis ùt capularem senem tempore, quo cum Deiparâ matrimonium contraxit, quod ipsum tamen ævi nostri criticis omninò desipit. Alterum, illudque principale, illud est, quod in probatione supponat aliquid, quod maximè probandum venit. Supponit scilicet, matrimonium patruum inter ac neptem, nullâ lege divinâ irritum fuisse, aut prohibitum.

§. XIX.

Profectò *Levit.* XVIII. 14. cautum à Deo legimus: *turpitudinem patrui tui non revelabis, nec accedes ad uxorem ejus, quæ tibi affinitate conjungitur.* Quo versu non solùm matrimonium nepotis cum uxore patrui, sed & matrimonium neptis cum patruo directè, & explicitè prohiberi sentit, solidéque probat doctissimus P. *Wilhelmus Smits* in notis ad illum locum. Duæ igitur sunt cit. versûs partes; primâ: *turpitudinem patrui tui non revelabis,* damnatur matrimonium neptis cum patruo; alterâ: *nec accedes ad uxorem ejus, quæ tibi affinitate conjungitur,* reprobatur conjugium nepotis cum uxore patrui, quemadmodum & ℣. 7. ejusdem capitis: *turpitudinem patris tui, & turpitudinem matris tuæ non discooperies,*

duplex præceptum adſtruitur,& æquè prohibetur concubitus filiæ cum patre,quàm filii cum matre,ſiquidem unus , idèmque hìc gradus conſanguinitatis tangatur. Et ſanè major ratio eſt, cum ſit major conjunctio, ut prohibeatur matrimonium neptis cum patruo, quàm nepotis cum uxore patrui. Inſuper ibidem ℣. 12 vetatur connubium nepotis cum amitâ, & ℣. 13. ejuſdem cum materterâ. *Turpitudinem ſororis patris tui*, ait Deus, *non diſcooperies: quia caro eſt patris tui. Turpitudinem ſororis matris tuæ non revelabis, eòquod caro ſit matris tuæ*: quidni connubium patrui, aut avunculi cum nepte eadem *Levitici* lege vetitum cenſeamus? Enimverò utrobique idem conſanguinitatis gradus eſt; urget igitur eadem legis ratio, ſcilicet: *caro eſt patris tui: caro eſt matris tuæ.*

§. X X.

Largimur equidem præfati ſyſtematis patronis, diſcrimen quoddam inter utrumque matrimonium intercedere, quod, cùm caput uxoris naturaliter vir ſit, Amita aut matertera in priori conjugio, nepoti, quem ſubeſſe oporteret, ſubjiceretur, adeoque naturæ, & honeſtatis ordo inverteretur. Fatemur etiam inconveniens illud ceſſare caſu, quo patruus aut avunculus ſibi neptem conjungeret, eóquod neptis ſic ſemper ſubjecta maneret Patruo, ìſque in ſuâ prærogativâ conſtanter perſiſteret. Verum tametſi inde ſequatur, non æque indecens ac inordinatum eſſe hoc, ac illud matrimonium, nequaquam tamen ſimul exinde deducitur, parem contra utrumque conjugium, non militare legis rationem. Hac namque lege,ſola ſpectatur propinguitas, quæ procul omni dubio in utroque caſu eadem eſt, minimè verò prærogativa attenditur, aut ſuperioritas. Quapropter prætenſa amitæ, aut materte æ ſubjectio vix alicujus momenti eſt, ſiqui-

dem non minùs valeat, ſi Domina nubat ſervo, quàm ſi ſerva Domino. Et verò ſi filius ſublimetur in principem, connaturaliter eidem ſubditur pater: ſi Religionem profiteatur mater, ſubjici poteſt filiæ, in quo utroque caſu nihil omninò, quod æquitati, aut decentiæ naturali repugnet, deprehenditur, cùm varietur rerum ſtatus, quem & ſummopere immutari per matrimonium, nemo ſapiens inficias ibit. Multò autem magìs prohibitum fuiſſe matrimonium patrui cum nepte, quàm affinium in eodem gradu, gravior perſuadet ratio, quandoquidem magis indecens, & à rectâ ratione alienum ſit, conjungi inter ſe conſanguineos, quàm paris gradus affines, id quod tamen prohiberi vidimus ad ℣. cit. C. 18. Sed neque Romanis olim hujuſmodi placuiſſe conjugia conſtat ex facto *Claudii* Imperatoris, *Aggripinam*, ſuam ex fratre *Druſo Germanico* neptem, ducentis, id quod & *ipſe Claudius* tamquam quid inſolitum agnovit, & vix ullus teſte *Tacito* L. 12. *Annal.* C. 5, 6, 7, imitatus eſt.

CAPUT V.

Rejectis aliis, tanquam inſufficientibus, noſtra ſtatuitur hypotheſis.

§. XXI.

Miſſis itaque cæteris, quæ nodum tangere non videntur, ſyſtematibus, alteri cuidam ſubſcribendum duximus hypotheſi, quam in ſequenti ſchemate proponimus:

DAVID

Salomon	*Fratres*	*Nathan*
Mathan		*Heli*
Jacob, Joachim	*Conjuges*	*Filia. Anna*
Jeſeph	*Conjuges*	*Maria*

JESUS